



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 100. Pertinax utrinque pugna.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Sæcul. XVI. tormenta sua non sine magna Foederatorum strage explodentibus, tandem Columna, Piscarius, ceterique Duces inultam mortem ibi oppetere dolentes, ex suis aggeribus excedere cogebantur, invito licet Cardonna, qui tamen & ipse, ut horum cladem præpediret, illos quoque imitari compulsus est.

## S. C.

*Pertinax utrinque pugna.*

*Rubeus l. 8.  
Guicci. l. 10.  
Nicol. Basel  
append. ad  
Chron.  
Naucler.*

Posthæc prælium ad belli leges instructum fuit initum, magisque exarsere utrinque dimicantium studia; Piscarius enim Marchio, ut Gallicorum tormentorum furorem averteret, equites suos leviter armatos eduxit, strictoque gladio in equestre Gallorum agmen toto impetu irruit, cataphracti vero collato utrinque pede primi cominus pugnam perturbatis licet ordinibus, neglectisque militaris disciplinæ legibus conseruere. Pugna varia, atrox erat, pertinax, & anceps, his atque illis sæpe exitialis, fortuna enim victoriam alternabat; tanto tamen furore uterque exercitus primum excipiebat impetum, ut quamplurimis ultro citroque cæsis, aliis majore adhuc numero vulneratis, non pauci ad pugnandum inhabiles redderentur: Equites quoque peditesque confuso agmine, ac pro-



promiscuo, mutuoque interitu desæviebant, & quasi singuli inter se dimicabant, pari utrinque fortitudinis ardore, atque æquali cædis aviditate; cum autem Galli equites Fœderatis numero superiores essent, hos a fronte urgebant, atque in transversa eorum latera irruebant, quamvis hostium repugnantiam expectatione majorem experti essent, tandem vero tanto furore, tantaque vincendi cupiditate in Fœderatos effundebantur, ut hi numero oppressi, cum omni ferme ex parte lacefferentur, & undique cincti essent, paulatim loco moti pedem referrent, atque non modo ordinibus, sed etiam cunctorum animis omnino turbatis, una omnes fuga dilaberentur, Piscario Marchione, cum in prælii ardore equum suum amisisset, a Gallis capto.

## §. CI.

*Gallorum agmen a peditibus Hispanis cæsum.*

Ceterum primo hoc prælii impetu Petrus Navarrus de statione sua minime discesserat; postquam vero Equitatum fusum fugatumque intellexerat, & ipse quoque periculum sibi proxime imminere ratus, Hispanos pedites, quibus præerat, in Gallos duxit, tantaque rabie in eorum legiones irruit, ut cunctis, quos

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.